



Disputatio juridica inauguralis de fidejussionibus

<https://hdl.handle.net/1874/342349>

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A V G U R A L I S,
D E
F I D E J U S S I O N I B U S ,

37.

Q U A M ,
D I V I N O F A V E N T E N U M I N E
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris ,

D . M . JOANNIS LUYTS ,

Philosophiæ Doctoris, ejusdemque Facultatis in Inclytâ Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii ,

U T E T

Amplissimi Senatus Academicī consensu , Nobilissimeque

Facultatis JURIDICÆ Decreto ,

P R O G R A D U L I C E N T I A E ,

Summisque in U T R O Q U E J U R E honoribus & Priva-
legiis ritè , & legitimè consequendis ,

P u b l i c o e x a m i n i s u b j i c t i ,

MATTHIAS REINERUS D E ROY , Dusseldorpensis.

A . D . 6 . Novemb . hora locoq[ue] soliis .



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA , Academiæ
Typographi , clc Icc LXXXVIII.

ILLUSTRISSIMO , ET GENEROSISSIMO
DOMINO DOMINO

PHILIPPO WILHELMO

LIBERO BARONI DE NESSELRATH.

DOMINO IN ERESHOVEN , WECKERCK,

THUMB , ET WELTERATH ,

SERENISSIMMI PRINCIPIS ELECTORALIS
PALATINI CONSILIARIO INTIMO

DUCATUS MONTENSIS MARESCALLO

E T

SATRAPÆ IN STEINBACH.

DOMINO MEO

LONGE

GRATIOSISSIMO.

Illusterrime , Generosissime Domine



On absqne insigni notâ ingrati a-
nimi , à parentum vestigiis aber-
rarem , Illusterrime , Generosissi-
meque Domine , si vel minimum

dubitaret incertus animus tibi laborum
suorum primitias consecrare , quos jure im-
mortalis obligationis , jamdum tibi manci-
pasti , ut usu mancipioque tui simus famuli.
Hæsi quidem nonnihil spem inter , & me-
tum , de operis vilitate non vanè anxius.
Sed ipsum (quod demississime in tuum audet
conspicuum venire) opusculum , animos
sibi fecit , non parum sibi splendoris pro-
mittens ; si sub Illustrissimo patrocinio tuo
lucem aspexerit . Felicitatis summam me
consecutum esse putabo , si me in clien-
tum tuorum numerum adscriperis , quam-
vis de tenuitate mea mihi sim conscius.
Pro explorato enim habeo , innatam illu-
strissimæ Domui tuæ , & imprimis tibi
Clementiam ad tempus fidejussuram.

Pro

*Illustrissimæ , & Generosissimæ Dominationis tuæ
servo Humillimo*

MATTH. REIN. DE ROY.

PROOEMIUM.

E

Rufra incusamus & vum hocce nostrum de relegata in quas nescio remotas plaga Germanorum fide ; in vanum laboramus spiritum , & vitam reddere pristino majorum candori , qui non quatriduanus ; sed à multis retrò saculis , imò ipsa Divi Justiniani aetate , perversa temporum Consuetudine oppressus computruit . Ad quem enim finem serviisset sollicita D. Imperatoris cura , ut prospiceretur creditoribus ; quo alio collimassent infinitorum propè de fidejussionibus commentariorum sudores , si integra semper & infracta perstitisset mortalium sinceritas ? ego , qui non leve exulantis integratatis supplementum in fidejussione ereperio , aggredior materiam illam pro virium tenuitate per theses sequentes plenius discutere ; secundent Conatum superit !

DIS.



DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,

D E

FIDEJUSSIONIBUS.

T H E S I S I.



Uemadmodum fidejussio recte stipulatio dicitur, quâ quis pro aliquo debitore, fidem suam interponendo ad debiti solutionem in subsidium obligatur; ita fidejussor propriè loquendo appellatur ille, qui intercedit pro alio principaliter jam obligato vel obligando rogatus, & pro majori securitate, creditori per solennem Stipulationem promittit, se soluturum, ita ut principalis obligatio nihilominus duret, & salva maneat; illique omnes fidejussores dici possunt, qui pro alio intercedunt, & debitum alterius suâ fide atque periculo esse jubent. *l. ubi 75. §. qui verò 6. ff. de verb. obl.* nec alium in finem fidejussores jure constituti sunt, quâm ut per illos creditor de debito reddatur securior. *l. i. §. sed aut proprio 8. ff. de obligat. & alt.*

A 3

II. Cum

6 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Cum mediante Stipulatione fiat fidejussio , hæc autem sit de genere permissorum , evidenter inferri potest , fidejubere posse omnes , qui expresse non prohibentur arg. l. mutus. §. 1. ff. de procurat. , vel qui alioquin ex contractu , vel Stipulatu obligari possunt. l. qui satisfare 3. ff. de fidejuss. Layman. de pact. & contract. C. 29. N. 5. Schrader. in tractat. de contract. rub. de fidejuss. n. 33.

I I I.

Dividitur rectè fidejussio in simplicem , & fidejussionem indemnitatis ; simplex dicitur , quando fidejussor simpliciter promittit creditor i id , ad quod ei principalis debitor obligatus est ; indemnitatis vero fidejussor is vocatur , qui se obligat in subsidium tantum ad id , quod creditor à principali debitore consequi non potest. Vafq. lib. 3. controv. c. 33. n. 2. cum seqq. & n. 7. Ludolph. Schrader. in commentar. de contract. rubr. de fidejuss. n. 24. & 25. item in judiciale , quæ propriè satisfatio appellatur. l. si quis 4. ff. de custod. reor. & extrajudiciale , quâ in contractibus utimur , & quæ hujus præcipue est loci.

I V.

Denegat quibusdam personis intercedendi facultatem ex defectu ætatis , vel corporis , animive vitio proveniens inhabilitas ; nonnullis leges ita consulunt , & ad ipsos indemnes conservandos obligationi , & nexui eximant. Manz. in tractat. de fidejuss. cap. 2. n. 13. hinc infans , & furiosus. arg. §. 10. instit. de inut. Stipulat. item summè ebrios , mente captus , & prodigus , qui furioso æquiparatur , nec non surdus , & mutus , quia Stipulati & contrahere nequeunt. §. 7. instit.

instit. de iust. Stipulat. neque fidejubere possunt, remoto enim genere, nempe Stipulatione, removetur etiam species, scilicet fidejussio; sed quia hodie fidejussio etiam per epistolam facta subsistit, dubitandum non est, quin surdus, mutusyē, in scriptis pro altero intercedere, & fidejubere possit. Citat. Manz. dict. loc. n. 55.

V.

Milites per leg. 31. Cod. de locat. & conduct. l. 8. §. 1. ff. qui satisd. cogant, fidejubere non possunt, aut saltem ex privilegio militari fidejussione solvuntur; rationem allegat dict. l. 31. quoniam armis, non privatis negotiis occupari debent, ut numeris, & signis suis inhärentes rempublicam, à quā aluntur, ab omni bellorum necessitate defendant; valet tamen, si in rem suam v. g. pro suo procuratore fidejubeant. d. l. 8. §. 2.

V I.

Pari passu ambulat cum milite Clericus, per text. in Novell. 123. de sanctiss. Episcop. Cap. 6, ubi ratio redditur, ut ne per hanc occasionem & sanctis Domibus Damnum fiat, & sancta ministeria impediantur. Qui divino ministerio consecrati sunt, hos ab externarum rerum occupationibus, & molestiis liberos esse oportet. Novell. Leon. 68. potest nihilominus fidejubere Clericus quantum ad res patrimoniales, vel alias, quas obligandi facultatem habet. Layman de past. & contract. c. 29. n. 7. pupillus, & minor sine tutorum, & curatorum auctoritate fidejubendo non obligantur. l. 3. Cod. de in integ. restit.

V I I.

Auctoritate SCri Vellejani, quod à veteribus SCrum de intercessionibus mulierum appellatum fuit: mulier fidejubere recte prohibetur. tot. tit. ff. & Cod. ad FCum Vellejan. prohibitio-

S D I S P U T A T I O J U R I D I C A

hibitionis hujus evidens ratio est tum ipsa naturalis æquitas propter sexus muliebris imbecillitatem multis captionum generibus expositam , tum quod innato quasi vitio imprudentes sint magis , quam viri; unde eas Arist. l. 9. de Hist. animal. fluxæ dicit esse fidei ; adde quod virile sit officium fidejubere. l. alienam 8. Cod. de procurac. Idcirco si mulier de facto pro aliquo fidem interposuerit , succurritur ipsi ope exceptionis si nondum solverit. l. tamen 11. ff. ad f. C. t. M. a. c. e. d. si solverit condictionis. l. qui exceptionem 40. ff. de condict. indebit l. quamvis 8. §. 3. ff. ad f. C. t. M. V. e. l. e. j. a. n. tametsi autem mulier fidejubens regulariter loquendo , exceptione Vellej. tuta sit , sunt nihilominus casus , quibus hocce beneficium cessat , si nimurum pro eo fidejubeat cui erat obnoxia. l. aliquando 13. ad f. C. t. M. V. e. l. e. j. a. n. Menoch. l. 3. p. r. e. s. u. m. p. t. 21. Num. 1. item si pro procuratore suo fidejubeat. l. 8. §. 1. ff. qui fatus dare cogant. si SCto utopte favori pro se introducto renuntiet; nam SCto illo succursum est imbecillitati , & ignorantia sexus muliebris, sed quæ scit aliquid in favorem suum introductorym esse , & tamen eo uti non vult , vel paciscitur se eo non usuram, non videtur esse decepta. Manz. Cap. 3. de fidejuss. n. 44. neque fidejussio pro marito facta subsistit. text. in authent. si qua mulier Cod. ad f. C. t. M. V. e. l. e. j. a. n. nisi manifestè proberetur , quod pecunia in propriam ipsius mulieris utilitatem conversæ sint. d. auth. si qua , in illis quoque locis, in quibus mulier communionem bonorum cum marito habet fidejussionem , pro marito factam valere afferit Gail. 2. obs. 100. n. 5. tunc enim res in mulieris utilitatem versæ præsumuntur. Goth. ad d. auth.

V I I I.

Potest fidejussor omni obligationi accedere l. 1. ff. de fidejuss. & mandat. & non tantum obligationi ex contractu, sed etiam ex delicto orienti l. 8. §. 5. d. tit. interest tamen agatur civiliter , & fidejussor recte de judicatum solvendo intervenit,

venit, an verò criminaliter, & distinguitur inter delicta, quæ habent pœnam pecuniariam, & in his itidem fidejussor de juditatu foivendo admittitur, & quæ pœnam habent corporis afflictivam sive Capitalem, quæ crimina si manifesta sint, & notoria non facile locus est fidejussioni. Carpz *pract. criminal.* 3. *quæst.* 112. *N.* 30. si incerta, iterum interest an reus sit fugitivus, & prchendi nequeat, hoc casu fidejussores admittuntur *l. 4. Cod. de Cust. reor.* si verò incarceratus vel incarcerated possit. tunc non nisi in delictis levioribus fidejussor admittendus, cavent autem fidejussores in delictis his, ob quæ pœna corporis infligitur, tantum de judicio sisti. Struv. *Exercitat.* 47. *th.* 39. *de fidejuss.*

I X.

Quoniam in totâ rerum naturâ nihil perfectum dici potest, quod non ex omnibus suis partibus constet; arg. *l. 1. ff. de orig. jur.* hinc nec valebit fidejussio nisi debitis fulta requisitis & quemadmodum ad fidejubendum requiritur persona habilis, & idonea, ita & necessum est, ut ipse principalis, pro quo fidejussor intercedit, sit obligatus, nam si pro non obligato intercedit, non tenebit fidejussio; quia fidejussio est accessoria quædam obligatio. §. 5. *Inst. de fidejuss.* accessorum autem non potest consistere sine suo principali; requiritur adhuc distincta principalis debitoris a fidejussore persona, quia nemo pro se ipso fidejubere potest, hoc enim casu neque creditor de debito redderetur securior, neque ulla esset inter debitorem & fidejussorem obligatio, quia idem esset principalis debitor & fidejussor, Manz. *Cap. v. de fidejuss.* *N.* 14. De fiderat porro Welenb. *N.* 5. *de fidejuss.* item Harp. *ad pr. tit. de fidejuss.* solennem stipulationem, arg. *l. 4. §. 3. ff. de fidejuss.* tutot. promittere quoque debe fidejussor id ipsum quod in obligatione debitoris principalis comprehensum est, quare in duriorem causam, quam ipse principales se non obligat, sed æque tenentur. *l. 8. §. 7. ff. de fidejuss.* non potest enim plus

10 DISPUTATIO JURIDICA

esse in accessoria obligatione, quam in principali, valet nihilominus in leviorum summam facta obligatio, ratio differentiae est, quod majori summæ in sit minor, non verò minori major. Wesenb. *in parat.* N. 5.

X.

Effectus fidejussionis in obligatione, & actione consistit; ex contractu nempe oritur obligatio. Harp. N. 34. §. sequens. 2. *Inst. de obligat.* ex obligatione actio. arg. *princip.* *inst. de mandat.* quod obligationem concernit, pro regulâ tenendum, quod fidejussor per æquè obligetur ac ipse principalis, quia fidejussor est is, qui intercedit pro alio, & promittit solvere rem, vel pecuniam ab alio debitam. Gomez. *variar. resolut.* *tom. 2. cap. 13. N. 1.* quam obligationem non in foro tantum civili, sed in conscientiâ etiam stringere notat Layman. *de pact. & contract.* Cap. 29. N. 9. cum quisque interpositam & acceptam promissionis suæ fidem jure naturali servare teneatur, eo jure veteri extensa erat fidejussoris obligatio, ut creditori liberum esset, utrum debitorem principalem, an verò relictio principali fidejussorem convenire vellet. *I. jure nostro.* 5. *I. liberum.* 16. *I. si alienam.* 19. *I. sententia.* 20. *Cod. de fidejuss. & mandat.* nisi aliud ab initio convenisset. *dicit. I. 5.* *paacta enim contractui legem tribuunt.*

X I.

Fidejussio ad hæredes est transitoria; ratio assignata ab Ulp. *in l. 4. ff. de fidejuss.* quia fidejussor rei, id est, principalis debitoris locum obtinet, sicut ergo reo principali mortuo hæres ejus obligatus remanet; ita & mortuo fidejussore ejus hæres tenetur; limitanda autem hæc regula; si consuetudine aliud introductum, illa enim haud dubiè derogat juri communi. *I. semper.* 5. §. *legem.* 1. *ff. de jur. immunit.* obligatio quoque fidejussoria ad hæredes non transit, si expressè convene-

venerit, ut in locum defuncti fidejussoris alius fidejussor substituatur; hoc nempè Casu obligatio fidejussoris est personalis Berlich. *Conclus. 26. N. 14.*

X I I.

Vidimus ex contractu fidejussorio nasci obligationem, hæc autem quia mater, & causa actionis est; Myns. *N. 3.* ad rubr. it. de actionibus; hinc videndum quasnam actiones pariat. Quoniam verò tam creditori contra fidejussorem, quam huic contra debitorem & uni fidejussorum contra aliū confidejussorem actio ratione hujus contractū competit; statuimus primò; si reus principalis non solvit, tunc creditor fidejussorem vel condicione certi ex stipulatu, vel actione ex stipulatu convenire poterit; fidejussio enim de jure civili regulariter nonnisi per stipulationem facta valet, & ipsa species est stipulationis, seu verborum obligationis. *I. blanditus. Cod. de fidejuss.* deinde si quid fidejussor pro debitore principali solvit, illud vel actione mandati, vel negotiorum gestorum iterum repetit. *§. 6. inst. de fidejuss. l. 11. §. 33. ff. mandat. officium* enim suum nemini debet esse damnosum, rationem cur detur actio mandati, assert Myns. *add. §. 6. N. 2.* talem, quod, cum debitor fidejussorem præstat, videtur ut mandare, ut pro se solvat eam summam pro quā intercessit; mandatum enim habens, ut se obliget, etiam mandatum habere intelligitur, ut solvat. Bald. & Goth. *ad l. 47. ff. de condic. indebit.*

X I I I.

Fidejussori postquam debitum solvit, contra' confidejussoris actio nulla datur (si casum excipias, quo cessa fidejussori actio, de quo infra) *l. 11. Cod. de fidejuss.* nihil enim negotii cum illis contraxit, nullaque inter eos est obligatio. Berlich. *lib. 2. Conclus. 22. N. 63.* neque contemplatione reliquorum confidejussorum, sed principaliter debitoris intuitu solvere videtur. Cit. Berlich. *cit. l. N. 76.* si fidejussor pro debitore non-

12 DISPUTATIO JURIDICA

dum solverit, vel alio modo satisfecerit, non potest actionem contra eum instituere ad hoc, ut liberetur *l. 10. Cod. Mand.* Gail. 2. *obs. 29.* Mandatum enim non de fidejubendo tantum; sed etiam de solvendo factum videtur. Gomez *var. resolut. lib. 2. cap. 13. N. 10.* quod utique in damnum debitoris vergeret, si pro arbitrio fidejussoris nondum à creditore interpellati ad liberationem agi posset, eò quod alium fidejussorem tam commodè habere non posset. Gail. *d.l. N. 1.*

X I V.

Quamvis jure veteri (prout in *tb. 10. demonstratum*) creditori liberum fuerit, - vel debitorem principalem, vel fidejussorem convenire. *arg. l. jure nostro. 5. Cod. de fidejuss.* derogatum tamen est legibus hisce jure nouissimo, ac saluberrimè constitutum, ne creditor prius fidejussorem conveniat, nisi exacto, vel excusso prius principali. *text. in anh. praesente. Cod. hoc tit. Novell. 4. in princip. usque ad §. quod autem.* beneficii hujus excussonis, seu ordinis, fidejussori indulti rationem allegat Myns. *ad §. si plares. 4. inst. b. tit. N. 6.* ubi ait fidejussorem velut in subsidium teneri æquum est, coquem animo se obligare videtur quilibet intercessor, ut non ante solvat, quam si non solvat debitor; nomen ordinis beneficium hocce exinde sortitum est, quia creditor servare debet ordinem hunc, ut prius excutit principalem, qui debitum contraxit, antequam perveniat ad fidejussorem. *d. Novell. 4. Cap. 1.*

X V.

Limitanda vero hæc regula in sequentibus casibus; si nimirum notoriè constet principalem non esse soluendo; frustrà enim executio adversus eum instituitur, qui nihil in bonis habet. Gail. 2. *obs. 27. N. 14.* adhuc si debitoi principalis longinquè absit, & difficilis sit conventionis; acerbum enim foret creditorem mittere aliò, cum possit mox intercessorem exigere.

in

in sœpè dict. Novell. 4. Cap. 1. deinde si fidejussor beneficio huic consultò, & deliberatè renuntiaverit. *Myns. Cent. 2. obs. 15. N. 4.* quilibet enim favori pro se introducto renuntiare potest. *I. si quis 20. Cod. de pact.*

X V I.

Plures fidejussores simpliciter intercedentes, quamvis ipso jure in solidum obligati sint, eò quod singuli obligationem principalem suâ fide esse jubeant. *Wesenb. in pact. N. 6;* nihilominus tamen Hadrian. Imperat. in epistolâ suâ rescripsit, & sanxit, ut creditor singulos æqualiter conveniret, neque amplius solidum à singulis peteret, & hoc est, quod beneficium divisionis, sive beneficium Epistolæ D. Hadrian. vocamus, de quo est tex. *in §. si plures. 4. inst. hoc tit. I. inter fidejussores. 26. ff. eod. I. non rectè 3. Cod. eod.* ideo sic dictum, quia creditor dividere debet obligationem, & actionem quam habet adversus plures fidejussores. *d. I. 26.* statuendum itaque est, creditorem a singulis fidejussoribus partes petere, & quemlibet non nisi pro virili suâ portione exigere debere. *arg. d. §. 4. Inst. h. tit. Layman. de Just. & jur. Cap. 29. N. 8.* durum namque foret ab uno exigi, quod à pluribus promissum est.

X V I I.

Gaudent hodie eodem beneficio Correi. *auth. hoc ita. Cod. de duob. reis. Novell. 99. Cap. 1.* secus de jure antiquo. *I. i i. in pr. ibi neque enim. ff. de duob. reis.* intelligentum autem est, fidejussores hoc divisionis beneficio uti posse, quando omnes sunt solvendo, secus verò, si unus vel alter solvendo non existat; hic enim cœteros onerat ut cogantur pro eo solvere, & unus, qui solvendo est, totum præstare. *allegat. §. si plures. 4. inst. hoc tit. Schrad. intrat. de contract. rubr. de fidejuss.* hoc casu scilicet res facilè ad naturam suam reddit, nec conqueri possunt reliqui, quia de jure ad solvendum totum adstringuntur,

14 DISPUTATIO JURIDICA

tur, nec Imperat. censetur voluisse, concessum privilegium in creditoris damnum redundare. Manz. Cap. 9. de fidejuss. N. 13.

XVIII.

Dictum est tb. 13. quod unus fidejussorum solidum solvens non habeat regresum contra reliquos confidejussores, neque ullum remedium juris civilis ad recuperandum id, quod ultra suam portionem solvit; notatum quoque tb. *preced.* quod, si unus vel alter ex fidejussoribus solvendo non sit, beneficio divisionis locus non detur, sed quoniam acerbum nimis videtur, contra quando confidejussor fuit inops, & postea ad meliorem fortunam pervenit, quod fidejussori solventi non succurreretur contra fidejussorem suum; hinc in solidum convento fidejussori beneficio cedendarum actionum jure prospectum est, ut scilicet a creditore petere possit, sibi actionem contra confidejussores cedi, tenetur itaque creditor fidejussori, à quo solidum consecutus est, actiones suas cedere. *l. fidejuss. 17. l. cum ie. 36. ff. hoc tit. Berlich. tom. 2. conclus. 22.* & cedendæ non tantum sunt actiones contra confidejussores; verum etiam adversus debitorem principalem. *l. si mandat. 13. ff. hoc tit. Novell. 4. Cap. 1. §. postuleat.* non actiones solummodo personales, verum etiam reales, & Hypothecariæ, ipsa quoque pignora, quæ creditor tenet, fidejussori sunt cedenda. *per l. creditor. 2. Cod. hoc tit. Sichard. ad l. 2. N. 7. Cod. hoc tit.* melius namque est pignori incumbere, quam personam actione persequi. *l. itaque. 12. §. sed si res ff. defurt.* notandum hic, quamvis fidejussori solidum solventi actio adversus confidejussores cedi debeat, illam nihilominus non extendi ad illam quoque portionem, quæ ipsum solventem contingit, sed ad eas tantum partes, quas extra suam solvit. *Harp. ad §. 4. Inst. hoc tit. N. 66.* natura quippe cessionis haud patitur, ut quispiam pro eâ portione cessionem impetrare velit aut debeat, quam ipse obligatione suâ agnoscit, & cum in pari causâ sit, melioris tamen fortunæ, quam confidejussor esse velit. *Myns. Cent. 3. obs. 94. N. 5.*

XIX.

XIX.

Principali non subsistente neque subsistit accessio *l. 178. ff. de reg. jur.* hinc liberato debitore liberatus est fidejussor, si que reus exceptione quedam se tueri potest, id quoque fidejussori proficit. *l. ex persona. 32. ff. hoc tit.* inter modos autem speciales fidejussorem liberandi primus est actualis solutio. *per text. in pr. tit. Inst. quibus mod. toll. obligat.* solutione enim ejus, quod debetur, solvitur omnis obligatio non tantum principalis sed etiam accessoria, ita & si debitor principalis solverit, liberentur etiam illi, qui pro ipso intervenierunt; liberat quoque fidejussorem oblatio pecunia debita, quia oblatio realis cum depositione operatur effectum plenae liberations. *l. 9. Cod. de solut.* ergo & solutionem fidejussionis, cum sublatto principali tollatur & accessorum; tollit ad haec fidejussionem novatio, id est si principalis obligatio inter creditorem, & debitorem novetur. *l. novat. Cod. de fidejuss.* deinde si inter reum, & creditorem de debito transactum. *l. 68. ff. §. fin. hoc tit.* si liberatio debitori in testamento legata, & fidejussor liber censetur. *l. si testamento. 49. in pr. ff. hoc tit.* patrum denique de non petendo. *l. si stipulatus 15, §. 1. ff. hoc tit.* uti & praescriptio fidejussionem removent; nam praescripta actione, & obligatione principalis debitoris, censetur etiam praescripta actio fidejussores, & quam exceptione reus se tuerit, eadem & fidejussori competere potest. *l. ex persona 32. ff. de fidejuss.*

XX.

Coronidis loco sint paucula de obsidibus, quorum usum eundem in finem jure gentium introductum existimo, quo jure civili introducta fidejussio, & scilicet pactorum, foederumque inter partes contractorum executio eo redderetur certior, & securior: obsidum alii sunt, qui sponte, & quasi ex conventione voluntarie se obligant; alii qui a principe sumum

mum imperium habente traduntur. Hugo Grot. *de jur. pac. & Belli Cap. 20. N. 52.* obsidi tradito ante expletas pactiones fugere non licere, neque fugitivum intra mœnia recipiendum notat *Liv. I. 2.* factum Cloeliæ a Romanis Regi Porsennæ urbem obsidenti in fidem traditæ allegans, quia obsidum obligatio, utpote libertati inimica, odiosa est, ideo stricta interpretatione hic locum habet, quare in unam causam dati in aliam haud poterunt retineri. Grot. *dict. cap. N. 55.* liberatur obses, quando id expletum, pro quo in obsidem datus est & si datus est, ut captivum, aut alium obsidem redimat, eo mortuo liberatur.

